

Eucharist., 2, et alii Summistæ. Solum posset hic dubitari de superficie continuante partem consecratam cum reliquis non consecratis, an maneat sub illa Christus, et ad partem consecratam proprie reducenda sit. Sed de hoc dicemus infra suo loco; pendet enim ex modo, quo Christus est sub indivisibili termino quantitatis, et ex aliis, quæ de speciebus consecratis infra dicenda sunt.

6. *Majoris illatio. — Refutatur.* — Ex dictis vero infert ulterius Major, si sacerdos intendat consecrare primam partem signatam proportionalem hostiæ, v. gr., primam quartam partem, non vero secundam, et in reliqua medietate similiter, et sic in infinitum, consecrationem esse validam, quia semper signatur materia certa et determinata. Unde infert, posse per consecrationem fieri, ut infinitæ partes proportionales substantiæ maneat inter se substantialiter disjunctæ, et alia similia absurda inde concludit. Sed errat manifeste, quia illa intentio secum ipsa pugnat, et contradictionem involvit, et tantum abest ut sit definita, quod potius est confusissima, cum feratur in infinitam multitudinem, quam nulla mens, præsertim humana, potest definite demonstrare; imo qui dicit infinitum, dicit quid indeterminatum. Unde cum consecrationem quarundam partium faciat dependentem a consecratione aliarum, seu a tota intentione, quæ versatur circa totam multitudinem, nihil prorsus efficit, quia illa intentio est, ut dixi, insufficientis et repugnans.

## SECTIO VII.

Utrum materia, quæ consecrari potest, certum terminum parvitalis habeat.

1. Sicut Philosophi, agentes de proprietatibus rei naturalis, distinguunt duos terminos quantitatis, scilicet magnitudinis et parvitalis, ita Theologi in præsentia materia eosdem inquirent, ut explicent, quanta sit materia, quæ simul consecrari potest. Hic ergo inquiremus, an detur certa quantitas minima panis, aut vini, qua minor consecrari non possit.

2. Supponendum est autem, dupliciter considerari posse hanc quantitatem panis, scilicet, vel per se separatam, vel ut conjunctam aliis partibus totius, in quo dupliciter potest intelligi consecrari pars: primo sola ipsa; secundo, simul cum toto. Hoc ergo posteriori modo, si pars existens in toto, simul cum toto consecratur, nulla erit adeo modica, ut minor consecrari non possit, quia sicut ex philoso-

phia constat in toto non dari partem minimam, ita certum est in Theologia, consecrata tota hostia, consecrari omnes et singulas partes, nec signari posse quantitatem minimam consecratam, quin sub quacumque minori totus Christus existat, ut infra dicitur. Duplex ergo superest dubitatio. Prima, an panis per se separatus possit in quacumque minima quantitate consecrari. Secunda, an pars, existens in toto, possit in illo consecrari, in quacumque minima quantitate, non consecrato toto pane. Loquimur autem, exempli gratia, de pane. Nam in omnibus eadem est ratio de vino, de quo pari ratione omnia sunt intelligenda.

3. *Prima conclusio.* — Dico primo: panis consecrari potest in quacumque quantitate minima, quæ humanis sensibus objici possit; ita sentit D. Thom. hic, et in 4, dist. 11, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3; et ibi Durand., quæst. 6; Gabr., quæst. 2, art. 3, et reliqui fere omnes; Alensis, 4 part., quæst. 34, membr. 1, art. 3, ad 2; et ratio est, quia licet quantitas sit minima, tamen panis est verus, et si potest objici sensibus, potest per formam signari, et potest esse signum sensibile. Parvitas deinde quantitatis non obstat, quominus sub illa totus Christus existere possit, ut de facto constat in partibus conjunctis in toto, vel etiam in separatis post consecrationem totius; ergo nihil hic deest ad materiæ veritatem. Unde confirmatur, nam si post consecratam totam hostiam, separetur quelibet particula minima, sub qua possit conservari substantia panis, illa manebit consecrata, totum Christum in se continens; ergo eadem quantitas erit sufficiens ad consecrationem, si per verba formæ designari possit. Unde hæc veritas non pendet ex quæstione physica, an in his rebus homogeneis detur minimum. Nam si non datur, procedunt rationes factæ; si vero datur minimum panis sensibilis, sufficiet ad consecrationem; minor vero minimo non sufficiet, non ex defectu quantitatis, sed quia jam non est panis. Et hoc non est contra conclusionem, quæ procedit quasi in sensu composito, supposito quod sit panis.

4. *Dubium. — Solutio.* — Sed dicit aliquis: quid, si detur panis in tam parva quantitate, ut licet conservari possit, non tam possit objici sensibus humanis? Dicunt aliqui, illum per accidens non posse consecrari, quia non potest videri, tamen per se loquendo posse, ita ut si divina virtute fieret, ut sacerdos certo sciret, aut crederet talem particulam panis esse in patena, posset in illo consecra-

tio fieri; quæ opinio solet tribui D. Thom., quoniam dicit, parvam aut magnam quantitatem non referre ad consecrationem. Et confirmari hoc potest argumento facto, quia talis quantitas posset in toto consecrari, et separata maneret consecrata; ergo eadem ratione posset consecrari per se separata. Aliis magis placet illam materiam non esse aptam ad consecrationem, nec in ea posse perfici, etiam in supra dicto casu, quod tenet Major, dicta dist. 11, quæst. 3. Et ratio est, quia supponimus, objectum esse tam parvum, ut sit extra naturale objectum visus humani, etiam si perfectissimus et acutissimus in sua specie sit; est ergo res illa humano modo insensibilis; ergo ex hac parte non est sufficiens materia sacramenti; et præterea non potest pronomine, hoc, sensibiliter demonstrari; ergo etiam ex parte formæ non potest in ea confici. Et hæc sententia videtur magis rationi consentanea, nec D. Thom. aut alii contrarium sentiunt; sed per se loquuntur de quantitate, supposito quod materia maneat sensibilis. Nam eodem modo loquuntur de magnitudine, de qua idem dicendum est, ut infra videbimus. De confirmatione autem, quæ difficilis est, dicam in seq. sectione.

5. *Prima conclusio.* — Dico ergo secundo: pars panis in toto existens, si per se sola consecratur, confici potest in quacumque minima quantitate, quæ sensibiliter designari possit. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Tractamus enim quid sit de necessitate sacramenti, non quid liceat. Jam enim diximus non licere, partem in toto consecrare; tamen, si fiat, factum tenet, quia illa pars vere est panis, cum quelibet pars, quantumvis minima, sit vere panis; ergo, si illa consecratur, factum tenebit. Oportet tamen, ut sensibiliter designari possit, quia et ratio sacramenti, et propria ratio hujus formæ hoc requirit. Sed est hic advertendum, si philosophicam opinionem teneamus, scilicet, non dari minimum in hujusmodi rebus homogeneis, in conclusione hac nullam esse difficultatem; neque oportere limitationem aliquam adhibere. At vero, si teneamus in parte per se existente, et separata a toto, dari minimum, nonnulli censent limitandam esse conclusionem, quia non putant etiam in toto posse consecrari partem existentem, minorem illa, quæ per se et separata posset conservari, quia existimant per consecrationem discontinuari partem consecratam a non consecrata. Quod tamen fundamentum mihi non probatur, quia

est contra sensum, et nulla est sufficiens ratio cur asseratur; tum etiam quia per consecrationem non fit alia immutatio in accidentibus, nisi quod separentur a subjecto, et per se existant. Ex qua non sequitur necessario discontinuatio, nec corpus Christi de se magis illam continuationem impedit, quam si substantia panis adesset. Confirmatur, quia si illæ duæ partes manerent contiguæ, et non continuæ, ex natura rei, trahendo unam partem, non necessario traheretur alia, quia cum materia illa sit sicca, et arida, partes non conglutinantur, nec sibi coherent, nisi ratione continuationis, ut experientia docet. Oportebit ergo hic ponere novum aliud miraculum.

6. *Objectio. — Respondetur objectioni.* — Dices: substantia, quæ manet sub illis accidentibus, non est in se continua; nam sub una parte est substantia panis, sub alia vero est substantia corporis Christi, quæ inter se non continuantur; at vero juxta principia philosophiæ, quando substantiæ sunt diversæ specie, et discontinuæ, etiam quantitas est discreta. Respondetur, quidquid sit de illo principio physico, in præsentia non habere locum, quia illa pars accidentium, quæ separata manet, supplet vicem subjecti, et est sufficienter applicata et disposita, ut cum altera parte continuetur. Dico igitur in dubitatione proposita, etiam si verum esset dari in toto partem aliquam panis, quæ separata ab illo conservari non posset, nihilominus posse illam solam in toto consecrari, quia revera panis est, et ibi habet, quidquid necessarium est, ut sub illis accidentibus conservetur substantia panis; sicut si vinum consecratum misceatur non consecrato, etiamsi dividatur in partes, quantumvis minimas, quæ per se separatæ conservari non possent, quamdiu tamen unitæ cum aliis possent sub se retinere substantiam vini, consecrationem etiam retinent, et sanguinem Christi; per divisionem autem totalem amitterent consecrationem, seu desineret sub eis esse Christus, quia etiam desineret substantia panis, vel vini, quod observandum est, ut infra dicemus.

## SECTIO VIII.

Utrum hæc materia apta sit ad consecrationem, in quavis magna quantitate absque termino.

1. Non agimus de materia apta ad convenientem modum. Supponimus enim in hac

re, ut sine peccato fiat, servandum esse usum Ecclesiae, et non esse permagnam aliquam quantitatem consecrandam, quia esset præter finem, et contra reverentiam debitam huic sacramento. Agimus ergo de iis, quæ necessaria sunt, ut consecratio teneat. Et multo minus pendet hæc quæstio ex physica controversia, an istæ res inanimatæ terminentur ad maximum, quam quæstio præcedens, tum propter rationem ibi datam, tum etiam quia indubitatum est, multitudinem panis congregatam ex multis discontinuis non habere terminum, cum tamen illa tota una consecratione confici possit.

2. *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — Est ergo prima sententia, dari certum terminum in quantitate maxima, quæ consecrari potest: ita tenuit Major, dist. 44, quæst. 4, conclus. 4, quia sphaera activitatis verborum habet certum terminum, cum verba sint agens finitum. Sed hæc ratio in divinis instrumentis nullius est momenti, ut alias dixi. Eandem vero sententiam tenuit Alens., q. 34, memb. 4; Bonav., dist. 10, art. 2, quæst. 4; Angelus, Eucharist., 1, § 25, ex alio fundamento, quia cum hoc sacramentum ordinetur ad usum, non videtur data potestas, nisi ad consecrandam quantitatem usui fidelium accommodatam, quia hic videtur esse prudens modus institutionis hujus sacramenti; nam dare sacerdotibus absolutam potestatem conficiendi quantamcumque materiam velint, et inutile est, et in gravem injuriam hujus sacramenti cedere posset; et hanc sententiam referens D. Thom., opusc. 59, cap. 5, eam probabilem existimat. Secunda sententia absolute et sine limitatione negat terminum, etiam si in infinitum procedatur. Ita videtur opinari Sylvest., Eucharist., 2, num. 4; Ledesma, quæst. 44, art. 2; et tribui solet D. Thom. hic, et in 4, dist. 44, quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 3.

3. Sed distinctione utendum est: aliud enim est loqui de quantitate panis, per se, et ex parte magnitudinis tantum, aliud vero ratione præsentiae necessariae ad veritatem formæ. Nam aliud est quærere, quanta materia per se, id est, ex vi formæ, et potestatis sacerdotalis consecrari possit; aliud vero est inquirere, an omnis conditio necessaria ad consecrationem applicari possit ad quantamcumque materiam quantitatem, seu magnitudinem.

4. *Prima conclusio.* — Dicendum est ergo primo, per se, et ex vi formæ, ac potestatis,

quæ est in ministro, posse consecrari quamcumque materiam absque ullo termino magnitudinis. Probatur primo, quia ex fide habemus, dedisse Christum sacerdotibus potestatem consecrandi panem, et nulla auctoritate, vel traditione, aut alio principio constat, limitasse hanc potestatem ad certum terminum, sed potius simpliciter et indefinite illam tradidisse: ergo. Et confirmatur, quia panis in tanta quantitate est verus panis; ergo est sufficiens materia subjecta huic potestati, quia fides nihil aliud docet, quam panem esse materiam. Secundo argumentor, quia hæc determinatio quantitatis non potest sumi ex usu, ut bene probat hic D. Thom., quia ipse usus indefinitus est; neque ex forma, quia illa optime potest in quantamcumque materiam cadere; nec ex intentione ministri, quia hæc etiam extendi potest ad omnem magnitudinem; neque ex eo quod consecratio tantæ materiam esset inutilis, vel injuriosa sacramento, quia hoc pertinet ad bonum, vel primum usum, qui non impedit substantiam sacramenti, si cætera necessaria concurrant, ut recte hic D. Thom., ad 2, docet, et cum eo cæteri Theologi, et Patres, quos Gratianus congerit de Consecr., dist. 4, de qua re late tractavimus supra, agentes de sacramentis in genere; ubi ostendimus, pravam intentionem ministri non impedire veritatem sacramenti, dummodo vere intendat facere sacramentum, etiam si id faciat per irrisionem. Nam hæc intentio in parva, et in magna materia locum habet. Tertio, si conjectura Alensis aliquid valerét, etiam probaret, per multas consecrationes non posse confici, nisi certam quantitatem panis, usui fidelium sufficientem, quod est evidenter falsum, tum quia fide certum est, sacerdotem vere conficere, etiam si post primam, aut secundam consecrationem, vel post quemcumque numerum consecrationum conficiat, quia valor præsentis sacramenti non pendet ex præterito; nisi quis fortasse dicat, præsentem consecrationem non esse validam, nisi vel materia prius consecrata jam consumpta sit, vel præsens sit ad usum necessaria; quod est absurdissimum contra vim verborum et totius Ecclesiae sensum. Quia valor sacramenti non pendet ex circumstantiis extrinsecis, et futuro eventu, sed ex propriis principiis, et causis; si ergo adsit vera materia, et forma, et minister cum debita intentione, conficietur sacramentum, etiamsi ab eodem, vel a diversis sacerdotibus consecrationes in infini-

tum multiplicentur, seu repetantur. Constat autem, per se loquendo, omnem materiam, quæ pluribus consecrationibus confici potest, si tota simul præsens fiat, unica verborum prolatione posse etiam consecrari, quia tota potest signari pronomine, *hoc*; et aliunde eadem est efficacia in una verborum prolatione, quæ in infinitis. Non igitur potest signari terminus huic materiam per se, neque ex necessitate usus; præsertim cum hæc necessitas, et multitudo, vel paucitas communicantium, in infinitum variabilis sit, et ideo ex illa nihil possit certum definiri.

5. *Secunda conclusio.* — Dico secundo, si magnitudo materiam tanta esse fingatur, ut non possit tota simul fieri moraliter præsens, neque etiam poterit unica forma consecrari; ita docet D. Thom., opusc. 59, cap. 5; Durandus, dist. 44, quæst. 6; Gabriel, lect. 35 in can., dub. 2; Victoria, in Summ., n. 57; Sotus, dist. 9, art. 2; Viguerius, cap. 16, § 3. Indicant Cajetanus hic, et Paludanus, ac Richard., dist. 10, art. 7, quæst. 4, et ita est exponendus D. Thom. hic, ut Cajetan. docet. Constat vero conclusio ex supra dictis, quia hæc præsentia est conditio necessaria, ut forma consecrationis locum habere possit. Verum est tamen, casum hunc imaginatione quidem fingi posse, re tamen vera non posse, humano modo loquendo, inveniri. Quis enim fingat tam magnum acervum panis, aut tantam vini copiam simul congregatam, ut non possit homini præsens fieri? Et ideo D. Thom. merito simpliciter negavit dari terminum magnitudinis in hac materia.

6. *Quorundam sententia.* — Solum superest difficultas ex superioribus huc remissa, quia per multas consecrationes posset confici magna materia vini, quæ postea simul sumpta et unita maneret consecrata, quamvis non posset tota simul præsens fieri sensibus; ergo eadem ratione posset tota simul consecrari. Et idem argumentum erat de termino parvitatis, quia pars minima, etiam insensibilis, si separaretur, consecrata manet; posset ergo etiam hoc modo consecrari, quia cum hoc sacramentum consistat in facto esse, non est major materia necessaria ad fieri, quam ad factum esse. Propter hanc difficultatem Major, dist. 44, quæst. 4 (prout habetur in aliquibus codicibus, in aliis etenim deest hæc pars) negat assumptum, affirmans, tam parvas posse esse particulas separatas, ut desinat sub eis esse corpus Christi, quamvis possit adesse substantia panis. Et potest hoc

suaderi, quia si pars separata est insensibilis, ergo non est visibile signum; ergo non est sacramentum; ergo non manet in ea Christus. Confirmatur primo, quia non est apta ad usum, et finem hujus sacramenti. Confirmatur secundo, quia alias sæpe necesse esset corpus Domini conculcari, et irreverenter tractari. Unde consequenter infert, per divisionem hostiæ consecratæ in minimas particulas, posse omnino desinere ibi adesse corpus Christi. Addit vero, quod si illæ particulae iterum continuarentur, iterum sub illis speciebus esset corpus Christi, sine nova consecratione, quia non possunt esse eadem numero species, et continuæ, quæ antea continebant corpus Christi, et quod nunc non contineant. Sed imprimis in hoc ultimo non loquitur consequenter, quia, si corpus Christi desinit esse sub illis accidentibus per divisionem, ergo incipit sub illis esse alia substantia, eis proportionata, scilicet, substantia panis; ergo, etiam si postea uniantur illæ particulae, non poterit sub illo toto esse corpus Christi, nisi per novam transsubstantiationem; ergo et per novam consecrationem. Nisi fortasse dicat per solam unionem, cujuscumque laici ministerio factam, in virtute primæ consecrationis fieri novam transsubstantiationem, quod inauditum est et absurdissimum. Præterea ipsa sententia Majoris falsa etiam est. Nam ex communi sententia omnium Doctorum, quam infra, quæst. 75, latius probabimus, species consecratæ, sive continuæ maneat, sive divisæ, tamdiu sub se continent corpus Christi, quamdiu substantia panis sub eis conservatur. Unde Concil. Florent. in decreto Eugenii, et Trid., sess. 13, can. 3, absolute definit manere totum Christum sub singulis partibus specierum, separatione facta; cum ergo absolute loquantur, non licet nobis restringere ad partem majusculam, vel minimam, dummodo in ea veræ sint species panis. Unde idem Trident., can. 4, absolute definit: *Si quis dixerit, in particulis consecratis, quæ post communionem manent vel supersunt, non remanere verum Christi corpus, anathema sit.*

7. Respondetur ergo ad utramque partem difficultatis, hic esse differentiam inter fieri, et factum esse hujus sacramenti; nam ut fiat, necesse est, totam materiam esse sensibiliter præsentem ministro, et posse sensibus demonstrari pronomine, *hoc*; accidere autem potest, ut vel propter nimiam extensionem,